



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

VII. Quæ sit Causa principalis in Generatione viventium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

xxxv. Respondeo negativè; quia nec homo dicitur filius solis; nec Adamus filius terræ; nec plantæ ex semine productæ plantarum filiæ: unde ex propria significatione videtur filius requirere, ut sit à natura intellectuali, vel saltem cognoscitiva & appetitiva, quia filius est patris & matris filius; videtur autem ad denominationem patris & matris spectare, ut filios cognoscere & amare possint.

xxxvi. Petes 3º. quænam pars animalis primò formetur?

xxxvii. Resp. diversos diversa sentire, Philosophi multi Aristotelem docentem, cor primò formari, sequuntur: Medici Hippocratem volentem jecur 1º. formari: sequere quem vis; quia experientia foetus recens concepti, quam uterque affert, valde dubia est, cum tunc partes vix sint organizatæ & conformatæ: unde dubium est, utrum exploratè videre potuerint, an cor, an jecur 1º. esset formatum: rationes pro utraque parte sunt parvi momenti; ut pro Aristotele, quòd cor sit fons caloris vitalis, sine quò nullum vivens consistit.

xxxviii. Respondetur enim quòd Hepar fit in se calidum & sufficienter foveatur calore vitali matris: Pro Hippocrate autem, quòd cor nutriatur sanguine, qui à jecore conficitur, cui similiter Respondetur in initio sufficienter, aliis & sanguine matris nutriri. Hæc paucis

D V B I V M V.

Quis sit terminus generationis substantialis.

xxxix. **A**nte Resolutionem Suppono duplicem ab authoribus assignari terminum generationis, unus est totalis, medius & primarius, & dicitur terminus, qui generatur; alius partialis immediatus & secundarius, & dicitur terminus, quo aliquid generatur. Hoc supposito, fit

R E S O L U T I O I.

xl. **D**ico 1º. terminus generationis qui & primarius est totum fundamentaliter.

xli. Probatur: quia illud primariò à generante intenditur, & simpliciter ut quod dicitur generari, ergo, &c.

Confirmatur ex Aristotele 7º. Metaph. textu 26. 27. & 32. & 1. Physic. textu 28. ac tandem 3. Metaphysic. text. 3º. ubi inquit: *aliter quidem materia, aliter verò ratio & forma, quia aliquod ens ratione separabile est: tertium verò, quod est ex his, cuius solius generatio & corruptio, & separabile simpliciter.* Quem locum explicans D. Thom. ibidem lect. 1ª. ait: *Compositum verò ex his, scilicet materia & forma, dicitur esse substantia, quasi separabile simpliciter, id est, separatim per se existere potens in rerum natura, & ejus solius est generatio, & corruptio: neque enim forma generatur, aut corrumpitur nisi per accidens.*

xlvi. Dixi fundamentaliter; quia generatio est actio realis, quæ proinde petit terminum ante intellectum, ante quem non existit totum formaliter, ut patet ex lib. 1º. Physicorum, sed fundamentaliter tantum.

R E S O L U T I O II.

xlvi. **D**ico 2º. terminus quo generationis, si ve in composito purè materiali, si ve in composito ex corpore & forma spirituali, est ipsa generatio.

xliv. Probatur, quia ex dictis lib. 1º. Physic. ipsa generatio est unio in composito substantiali; sed illud generatur, cujus unio generatur, ut constat ex omnium sententia in homine, ergo &c.

xlv. Adde tamen 1º. formam, si ve spiritualem, si ve materiale, rectè dici terminum quo per generationem communicatum; quia forma per illam, tanquam unionem, materiæ & composito fundamentaliter tribuitur & communicatur.

xlvi. Adde 2º. in homine, non dari terminum per generationem productum, à generatione realiter distinctum: pro quo vide dicta lib. 1º. Physic. Disp. 6ª. dub. 2º. in composito verò purè materiali esse formam, ut habes ibidem.

D V B I V M VI.

An Generatio Substantialis sit Instantanea.

xlvi. **A**nte Resolutionem Adverte in Generatione diversas actiones intervenire, prima est alteratio materiæ, ad formam disponens; deinde ipsa unio, quæ in compositis purè materialibus est productio ipsius formæ; in homine verò ipsa generatio sine termino productio realiter à se distincto. Hoc notato, fit

R E S O L U T I O I.

xlvi. **D**ico 1º. si generatio sumatur complexè prout includit præviam alterationem, clarum est esse successivam; quia materia per illam alterationem non nisi successivè ad formam disponitur, prout experientià patet.

R E S O L U T I O II.

xlvi. **D**ico 2º. si generatio sumatur incomplexè, & prout est præcisè unio, est ex parte formæ necessariò instantanea, si forma sit spiritualis, ut in homine; potest autem esse successiva, si materialis, ut in igne, & similibus compositis purè materialibus.

l. Probatur prima pars, quia, ut diximus lib. 1º. Physic. anima rationalis non est intensibilis, ac proinde debet tota simul uniri, ergo, &c.

li. Probatur secunda pars, quia ut constat ex ibidem dictis, forma materialis est intensibilis & remissibilis, ac proinde sicut potest successivè per partes intensificationis produci, ita & successivè secundum illas uniri, ergo, &c.

lii. Obijcies: primo instanti, quo producit formam ignis, formam canis, &c. est tam intensa, ac omni instanti, quo conservatur, ergo tota simul intensivè producit, & unitur, ac per consequens generatio unio formæ materialis est instantanea.

liii. Respondeo negando antecedens; nam tantum continuè intenditur forma materialis substantialis, quantum dispositiones præcisè necessariæ ad introductionem primam illius; postea intenduntur, & tantum remittuntur, quantum hæc etiam postea remittuntur. Objectiones alias vide lib. 1º. Physic. Disp. 3ª. dub. 2º.

D V B I V M VII.

Quæ sit Causa principalis in Generatione viventium.

lii. **A**nte Resolutionem Suppono causam principalem Generationis viventium non esse Deum solum, aut Deum

Deum simul & animam infusam. Frustra enim ad Deum recurritur, ubi adfunt causa creatæ, deinde si anima infusa talis causa esset, nec pater, nec mater, essent causa generativa pſolis; sed homo ille, qui tali animâ constitueretur, quod nullus dixerit.

RESOLUTIO I.

LVI. Ico 1º. contra Okam in 3. q. 3. Gabriëlem in 3. Disp. 4. q. unica, Hurtad. Disp. 2. de Genere sect. 3. num. 4. Arriagam Disp. 1. de Genere sect. 6. num. 58. causa principalis quæ Generationis hominis, sive unionis inter animam & corpus hominis, non est anima sola matris.

LVI. Probatur ex dictis lib. 1º. Physic. Disp. 6. dub. 2º. Resol. 3ª. ferè per totam: sic enim genita proles plus deberet matri, quam patri; quod ibi impugnatum est.

LVII. Confirmatur, eodem modo se habet mater ad vim prolis generativam, sicut terra se habet ad vim generativam plantarum, sicut gallina ovis incubans ad generationem pullorum, aut furnus, sive finis tepidus, ad eorundem exclusionem: sed hæc sola non sunt causa principalis generationis plantarum, pullorum, &c. sed subjectum disponunt, calefaciunt, foveunt, in ordine ad futuram generationem, ergo, &c.

RESOLUTIO II.

LVIII. Ico 2º. contra D. Fromondum de Anima lib. 1º. cap. 2º. art. 6º. & alios valde communiter. Causa principalis quæ generationis hominis, non est virtus seminibus utriusque sexus à parentibus indita, quæ à parentum actionibus adæquatè distinguatur.

LIX. Probatur, quia illa est causa principalis quæ generationis hominis, quæ est causa principalis quæ conformationis membranificationis, carnificationis, &c. humani foetus: sed dicta virtus non est, ut probavimus lib. 1º. Physic. Disp. 6. Dub. 2º. Resol. 3ª. hæc causa, &c. quis enim mortui subjecti virtuti actiones viventium tam perfectas concedet? certe si aliquæ actiones viventis sint vitales, maxime illæ; alioqui nutritio & augmentatio omnium membrorum ac organorum corporis, non essent actio vitalis; aut si hæc talis, etiam prima istorum membrorum ac organorum productio talis esse debet, quod

tamen habere non potest ab ista mortua, sive non vivente virtute; ergo, &c.

IX. Respondet 1º. D. Fromondus loco citato art. 7º. facultatem illam non esse quidem vitalem; sed imitari vitalem, uti simia hominem.

LXI. Sed contra, vel, illa revera est vitalis, aut potius, vel in semine est actio vitalis; vel nutritio, augmentatio dicta non est propriè vitalis, sed simia vitalis; quod nullus admiserit; ratio tamen sequelæ est; quia eadem sunt & ejusdem naturæ actiones in tali semine, ac in homine: aut det rationem, cur sit propriè vitalis; & non simia vitalis tantum, præter communem consensum, qui omnino extendi debet, ut rationabilis sit, ad actiones feminis.

LXII. Respondet 2º. animam nutrire posse membra sui corporis, quia organa & instrumenta jam habet, quibus vitaliter id facere possit; formam vero, quæ prima membrorum lineamenta ducit, sine organis more formarum inorganicatum hoc agere, &c. Sed

LXIII. Contra, Responſio ista petit principium, & falsum supponit, videlicet dari formam, quæ prima membrorum lineamenta ducit, præter actiones utriusque parentis. Deinde falsum est idèò animâ nutriendo membra sui corporis vitaliter agere, quia mediis organis & instrumentis, quæ jam habet, id facit, licet cooperentur; alioqui ipsa essent anima & vita in actu primo, saltem partialis, quod non dicitur: sed quia ipsa anima, à qua nutritio, est anima & vita in actu primo: denique cum ab illa forma essent prima conformatio, membranificatio, carnificatio & foetus, uti proprii corporis secunda, sive illarum in proprio corpore per nutritionem augmentatio ab anima; haud minùs illæ erunt actiones vitales, quàm hæ, ac per consequens illa, non minùs esset vita in actu 1º. quàm anima.

RESOLUTIO III.

LXIV. Ico 3º. causa principalis quæ generationis hominis; & sic proportionatè de aliis, sunt parentes per suas actiones immediate in suo semine permanentes; hæc conclusio videtur D. Thomæ locis lib. 1º. Physic. Disp. 6ª. dub. 2º. Resol. 3. in Corrol. citatis, & clara est ex dictis in ista Resolutione per totam.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Conversione.

DUBIUM I.

Quid Conversio, & quomodo differat à generatione

I. Ante Resolutionem
A Suppono 1º. ad Conversionem duo requiri, primò ut sit inter terminos positivos repugnantes, sive naturaliter incompatibiles; unde nulla est conversio, dum aer ex tenebroso (quia terminus negativus) fit lucidus; nec etiam, cum Petrus ex cognoscente fit amans; quia non sunt termini ex se repugnantes: secundò ut remaneat aliquid commune termino à quo, sive præcedenti, & termino ad quem, sive succedenti; unde, si cum substantia panis Deus annihilaret omnia ejus accidentia, non diceretur in corpus Christi converti, & dicitur converti, quia remanent. Tertium communiter requiritur, nempe,

ut conversio exerceatur in loco ambobus extremis successive communi; sed superfluum omnino est; si multiplicatio loci ejusdem subjecti non impediat oppositionem formarum, quod supra ultimo libro Physic. probavimus.

II. Suppono 2º. Conversionem esse substantialem, materialem, formalem, accidentalem, modalem, &c. totalem, partialem, &c. juxta naturam terminorum conversionis: unde si sit totius substantiæ manente accidente uno vel pluribus, dicitur transsubstantiatio; si verò omnium accidentium manente uno vel pluribus, transaccidentatio. His suppositis, sit

RESOLUTIO I.

III. Ico 1º. Conversio est transſus minus rei in aliam incompatibilem remanente aliquo communi. Hæc conclusio clara est ex præsuppositis.

RESO.